Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift



nalium cerimoniarum cultum respuunt. et uere redemptionis mysteria tota fide spe et dilectione excolunt. Ut intrent galaad terram possessionis sue. ut per ueteris testamenti transmigrationem noui testamenti coloniam introeant. quam sue redemptionis terram esse non dubitant.

Quam optinuerant iuxta imperium dñi in manu moysi. quia in descriptione legis mosayce recognoscunt ex dei patris dispositione humanitatem filii dei esse terram possessionis sue. que reuera lacte et melle fluit. quia reuera in xpi persona diuinitati humanitas iuncta fuit. Ad tumulos iordanis ueniunt. cum prefigurationes illas baptismi per circumcisionis et sabbati ritum in lege conspiciunt. Quia enim in iordane xpe baptismi lauacro tinguitur. consequenter per iordanem baptismi forma exprimitur. In terram chanaan ueniunt. dum humanitatem filii dei in legis littera latentem aspiciunt. Inde iuxta iordanem altare infinite magnitudinis edificant. dum in fide futuri baptismi noui testamenti cultum spe et dilectione concelebrant. Altare infinite magnitudinis esse describitur. quia noui testamenti redemptio celestia et terrestria complectitur.

Quod cum audissent filii isrl. et ad eos certi nuntii detulissent edificasse filios ruben et gad et dimidie tribus manasse altare in terra chanaan. super iordanis tumulos contra filios isrl. conuenerunt omnes in sylo. ut ascenderent et dimicarent contra eos. Et interim miserunt ad illos in terram galaad. finees filium eleahari sacerdotis. et decem principes cum eo. singulos de singulis tribubus. Qui uenerunt ad filios ruben et gad et dimidiam tribum manasse in terram galaad. dixeruntque ad eos. Hec mandat omnis ppls dñi. Que est ista transgressio. Cur reliquistis dñm deum isrl. edificantes altare sacrilegum et a cultu illius recedentes. An parum uobis est quod peccastis in beelphegor. et usque in presentem diem macula huius sceleris in uobis permanet. multique de populo corruerunt. Et uos hodie dereliquistis dñm. et eras in uniuersum isrl. eius ira deseuiet. Quod si putatis inmundam esse terram possessionis uestre. transite ad terram in qua tabernaculum dñi est. et habitate inter nos. tantum ut a dño et a nro consortio non recedatis. edificato altari preter altare dñi dei uestri. Nonne achan filius hare preterit mandatum dñi. et super omnem pplm isrl. ira eius incubuit. Et ille erat unus homo. atque utinam solus perisset in scelere suo.

Scam scriptura idcirco capree assimilatur. quia more capree huc illucque discurrendo euagatur. et modo quidem de presentibus uel de futuris loquitur. modo simul preterita presentia et futura sub una littera complectitur. Filii isrl. audiunt. cum carnales isrlite mysteria ecclesie in cerimoniis legalibus animaduertunt. Certi nuntii ad eos deferunt. cum legis apices ipsis eadem matris ecclesie mysteria referunt. Hii ergo nuntii eis dicunt. edificasse filios ruben et gad et dimidie tribus manasse altare. quia sancti patriarche et pphe eis predicunt. ueros ecclesie filios noui testamenti cultum cerimoniis legalibus adumbrare. In terra chanaan. que humanitatem filii dei exprimit. quam noui testamenti obseruantia excolit. Super iordanis tumulos. super confessionis